

trunk, bei dem der Pfarrer anwesend war, oder man schickte ihm zwei Maß Wein mit Brot oder auch das Geld dafür. Wurden zwei Personen wegen Unzucht oder Ehebruch gestraft, so mußten sie nach uraltem Herkommen dem Pfarrer ein Malter Haber liefern. (Schluß folgt.)

Zur Geschichte der Konstanzer Diözesanynoden während des Mittelalters.

Von Karl Brehm, Bifar.

(Fortsetzung.)

Item contrahens matrimonium cum aliqua propria uxore vivente et religionem intrans et sacrum ordinem suscipiens invita uxore sua post carnalem copulam subsecutam.

Item vir, qui in morte coniugis, et uxor, que in morte viri effectualiter machinatur.

Item vir scienter coiens cum moniali, velata virgine, religiosa virgine.

Item scienter coiens cum iudea, saracena vel pagana et e converso.

Item incendiarii et nocturni depulatores agrorum et famosi latrones, qui in criminibus publicis insidiantur et spoliunt.

Item consecratus vel ordinatus per alium quam per proprium episcopum absque eius licentia.

Item promotus per saltum alio ordine pretermissio vel etiam contra prohibitionem superiorum furtive.

Item excommunicatus, suspensus, interdictus missam celebrans scienter vel officium suum sollempniter ut prius agens et qui excommunicatus vel interdictus ordinem suscipit vel beneficium.

Item clericus et laycus scienter corpus excommunicati in cimiterio sepeliens vel non excommunicati tempore interdicti.

Item abutens quomodolibet hostia, crismate vel alia re sacra.

Mittantur etiam ad nos in scriptis casibus, si peccata sunt publica vel si super eo fama laboret, primo videlicet mulier concipiens filium ab alio quam a proprio marito, quem maritus suum credens pro filio habet et nutrit.

Item scienter baptizans proprium puerum vel uxoris ex alio viro filium

vel filiam et e converso preterquam in necessitatis articulo et in alterius, qui baptizare possit, defectu et similiter huiusmodi puerum in cathecismo vel confirmatione tenens.

Item confessus se credidisse hereticam pravitatem vel hereticis favisse vel participasse.

Generaliter etiam ad nos mitti volumus peccatores pro quolibet enormi peccato vel crimine parrochiam totam scanda(liz)antes, et ubicunque fuerit difficultas vel ambiguitas incidit sive propter inperitiam confessoris sive propter causas cuiuslibet novitatis, si ab aliis magis ydoneis et peritis non poterit informari, ut hoc per nos, si fieri potest, expediatur, aliter ad sedem apostolicam transmittatur. Inferiores autem (potestatem) mutandi vel mitigandi seu interpretandi iniunctas a nobis penitentias salutare sibi noverint interdictam.

Provideant insuper, ut in ecclesiis eorum ministri officia divina tam diurna quam nocturna studiose celebrent et devote cum omni tumultuoso strepitu et extranea locutione seu nugacitate cessantibus, contra eos, quos continget derelinquere normam, similiter in premissis plures competentes, prout viderint expedire, ordinando (penas).

Ad sinistre suspicionis tollendam maculam constituimus, quod omnes sacerdotes seculares et religiosi confessiones mulierum audiant in tali loco, unde videri possunt confessor et confitens, etiam in infirmitate, si loci qualitas patiatur.

Universis prelati et ecclesiarum rectoribus et plebanis nostre Constantiensis dyöcesis districte precipimus, ut suos parochianos diligenter admoneant cum interminatione penarum, ne parvulos infra bienium constitutos secum in lectis collocent, ne de ipsorum oppresionibus dampnabilibus iudicentur. Et hanc monitionem faciant omnes prelati et ecclesiarum rectores per suos subditos sepius iterari.

Testamenta quoque clericorum, si tempore mortis vel infirmitatis, de qua mortui fuerint, concubinas publice tenebant, ipso iure sunt invalida exceptis